

A.H. 346.15.

DE  
SACRIS  
CONCIONIBUS  
IN  
CASTRIS HABENDIS

60  
Pi  
2861

DISSESTIT

M. GOTTLÖB SIGISMUNDUS DONNER.



---

D R E S D Æ,  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI MEINHOLDI.

MDCCCLXXIX.

SACRIS

CONVENTIONES

CONVENTIONES

CONVENTIONES

ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO  
MAGNIFICIS SUMME REVERENDIS  
ILLUSTRIBUS CONSULTISSIMIS  
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ  
SUPREMI SENATUS SACRI DRESDENSIS

*PRÆIDI*

CONSILIARIIS ASSESSORIBUS

SPLENDIDISSIMIS GRAVISSIMIS

PATRONIS OPTIMIS MAXIMIS

AETATEM PIE COLENDIS

D. D. D. C.

*AUTOR.*





V I R I  
ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME  
*MAGNIFICI SUMME REVERENDI ILLUSTRES*  
*CONSULTISSIMI*  
PATRONI OPTIMI MAXIMI  
*AETATEM PIE COLENDI*


Quo honorificentius mihi erat, belli quam felicissime iam iam compositi initio, a VOBIS VIRI ILLUSTRISSIME, MAGNIFICI, SUMME REVERENDI, ILLUSTRES, exercitus nostri Ducibus sapientia, fortitudine, probitateque conspicuis concionatorem, ceterisque, qui religionem apud singulas cohortes traderent, praefectum datum esse; eo maiori studio allaborauit, ut officiis, quae muneris ratio exigeret, sedulo praestandis VESTRA illa singulari erga me benevolentia non indignus omnino viderer. Sed iam ex illo armorum strepitu reuersus VOBIS non eorum tantum, quae a me, sed quae tempore suo ac loco ex sacrarum rerum genere per totum exercitum acta sint, rationem reddendam esse putauit. Jussu igitur VESTRO aliorum libellis, in quibus illa indicata sunt, collectis, meum quoque adieci. Cum vero pars muneris in concionibus habendis posita fuerit, quam in illis et ipse potissimum secutus sim rationem, et omnibus, quibus idem propositus sit finis, sequendam existimem, publice exponere visum est. Accipite igitur opusculum ILLUSTRISSIMO, MAGNIFICIS, SUMME RE-

VERENDIS, ILLUSTRIBUS NOMINIBUS VESTRIS  
dicatum! Accipite ea VOBIS animi pietate oblatum, quae  
sapientiae, doctrinae, summisque de rebus sacris per totam  
Saxoniam meritis VESTRIS debetur! Rei quidem argu-  
mentum Summorum Virorum personis non indignum  
omnino videtur, cum vero doctrinae nihil commendatio-  
nis habeat, ea indulgentia atque humanitate, qua quem-  
uis ingenii vires periclitantem adiuuatis, me quoque exci-  
pere velitis. Neque tamen me solum meaque studia, sed  
omnes quoque eos, qui in religionis doctrina militibus ex-  
ponenda adiuncti mihi fuerunt, quam optime commenda-  
tos habeatis oro rogoque

*NOMINIBUS VESTRIS  
ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO  
MAGNIFICIS SUMME REVERENDIS  
ILLUSTRIBUS CONSULTISSIMIS*

Scrib.  
Dresdae d. xv. Julii  
MDCCCLXXIX.

cliens additissimus  
M. Gottl. Sigism. Donner.



§. I.

**C**um in republica bene constituta milites in iis ciuium ordinibus sint habendi, qui tum ob multitudinem maximamque, qua pollut, potestatem, tum ob insignem, quam usu armorum difficulti atque laborioso patriae utilitatem afferrunt, ab omnibus magni faciendi sunt; eosdem quoque, quando de rebus sacris agitur, non infimo loco ponendos esse sequitur. Eam autem hic potissimum militum rationem habendam esse dico, ut belli tempore illis non modo religionis doctores tribuantur, sed ab his etiam omnis doctrina coelestis, in concionibus praesertim, ad ipsos referatur. De arte vero bene concionandi quamuis multa quidem omnium temporum scriptra extant, et nunc scribantur, de orationibus tamen sacris ad milites habendis nihil facile in illis reperitur. Plerumque enim ea tantummodo, quae concionatori generatim scienda atque obseruanda sunt, tractant; aut si vel maxime de singulis artis illius partibus distinctius praecipiunt, eorum tantum usui, qui in urbibus et pagis religionis doctores sunt, inseruire videntur. Nec propterea quenquam, qui de orationibus in nuptiis et funeribus agens militares silentio praeteriit, reprehendendum censeo; quisque

Instituti 12.  
tio.

que enim ex fine, quem sibi in scribendo proposuit, iudicandus est. Sed integros libros habemus, qui, quomodo concionator militaris munere suo rite fungatur, docent; quantum mihi autem eos inspicere licuit, nec in his, ubi omnino quaerendum, de formandis concionibus in castris, quidquam, quod votis responderet, dictum inueni. Apud animum mihi igitur proposui, illarum, ex mea quidem sententia, ita instituendarum, ut etiam apud militantes vera pietas magis magisque excitetur augeaturque, tradere rationem. Ante laetissimum enim pacis, quae, iuuante Deo, quam felicissime nobis iam contigit, tempus, facultas mihi data erat, meo ipso usu, quae circa hanc rem fere obseruanda sint, videndi.

## §. II.

*Accommo-  
date dicen-  
dum est*

Salus aeterna quidem Christianis non nisi per Christum contingere potest; inde tamen in habendis concionibus eadem methodo ac ratione omnibus religionem tradendam esse, non sequitur. Nam quae in componendis mortuis dicuntur, ea in celebrandis nuptiis in medium non proferuntur; et quae coram rusticis in pago omnia suffragia fert concio, eam Saurinus Hagae-Comitum vix habere potuisset. Omnia igitur ministri ecclesiae, qui muneri suo vera cum utilitate praefesse studer, officia in eo praecipue ponenda esse existimo, ut, quid Christianis tempore quoque ac loco singulis in rebus proponendum sit, videat. Quod vero cum de omnibus artis oratoriae partibus valet, id tum in primis de iis valebit, quae ad conciones militares pertinere videntur; ubi summum fere est, ita ad cohortes dicere, ut quam hic habeas orationem, ea non facile alii Christianorum coetus conveniat. Qui ingenii felicitate praeditus est, non anxie ad praecepta, quae sola nunquam bonum Oratorem finixerunt, recurrit, sed ipse, quomodo pro personarum, temporum atque locorum ratione apte et ad rem accommodate dicat, optime intelliget;

telliger; atque hoc modo superfluum alicui videri posset, leges super hac re conscribere. Sed qui recordabitur, Aristotelem, Dionysium Halicarnasseum, Ciceronem, Quintilianum, Vossium, Ernestum aliosque eruditissimos viros institutiones oratorias nobis deditisse, is formari posse praceptis ingenium, acui, et erigi, non negabit. Summis quidem illis praestantissimae elegantissimaeque doctrinae viris me nulla ratione adiunxerim, utpote bene gnarus, quam paucis mortalium ad eiusmodi sapientiae gradum peruenire contingat; cum tamen ad eundem cum illis, modulo ingenii, bene de aliis merendi, finem contendam, hunc meum qualemcumque in re longe grauissima conatum non plane improbatum iri spero.

### §. III.

Primum igitur, qui sint ii, quibus in castris concionandum, <sup>a) Ad personas,</sup> videamus. Ante omnia enim, qui operaे pretium ferre voluerit, homines, quos ad consequendam salutem praceptis diuinis instruat, nosse debet. Qui autem militiae nomen dederunt, multifariam inter se differunt. Sunt inter eos, qui, quam pie de religione cogitent eamque animo colant, non dictis modo, sed factis quoque comprobent; atque hi non tantum sunt ex praefectis, sed ex militibus etiam gregariis: neque ex iis tantum, qui provectionis aetatis periculis terrefacti mortem metuant, sed ex iuuenibus etiam fortibus, a quorum aetate pietas saepe exulare videtur. Non igitur de omnibus, quod apud Poëtam legis, querendum est: *nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur;* quamvis vitam plurimos agere, quae ob mores perditos corruptosque neutiquam cum sanctis religionis praceptis congruat, non negauerim. Si vero ab his, quae religionem spectant, discesseris, homines habebis vel ex nobili et clara gente, vel ex obscurō genere et infima plebe ortos: vel variis litterarum studiis excultos atque instructos, vel artium disciplinarumque ru-

des: vel praeclare tandem atque ingenue educatos, vel agresti rusticitate horrescentes. Quae cum iam natura sua maxime diuersa sint, quotidiano etiam consortio tam mire inter se miscentur, ut vix in ullo alio Christianorum coetu tantam animorum ingeniorumque diuersitatem deprehendas. Cognoscendis igitur illis operam det, cui curae cordique est, munere suo *eis amodorum* apud milites fungi. Sed cum hoc, uti in omni hominum genere, hic in primis negotium sit longe grauissimum difficillimumque, diuturna conuersatione crebrioribusque colloquiis opus esse videtur. Multum in eo quoque adiuuaris, quando tum praeferim, cum a nemine obseruari arbitratur, quomodo quisque se gerat, obserues, neque ea, quae a viris probis atque honestis relata acceperis, plane spernenda existimes. Praecipui in ea re multum adiumenti habent, qui apud milites perpetui sacrorum ministri constituti sunt. Jam enim norunt auditorum animos et vitam, cum alii, bello suborto, eos vix a facie nosse coeperunt; et dum his in uniuersitate dictis acquiescendum, illi, quae singulis quibusque conueniunt, proferre possunt: ut id taceam, quod, ubi amor mutuus inter doctorem et auditores nondum intercessit, ibi nec praecepta divina altius animis reponi ac foueri soleant; amor autem ille, quamdiu alter alterum a se alienum adhuc fere putat, intercedere non potest. Qui tamen cum doctrina vitae sanctimoniam, morumque probitatem coniungit, ei mox omnium amorem consequi haud difficile erit.

#### §. IV.

b) Ad tempora,

Sed etiam temporum ratio habenda est, et quidem propter ea, quoniam longe remotis ac alienis propositis, non modo nihil utilitatis afferes auditoribus, sed iure quoque reprehensionem apud eos incurres. Qui modo enim initio belli hostibus sese obiecerant, iam in aciem instructi praelium committunt atque victoriari reportant: alii praeter opinionem sese oppressos fugatosque viderunt:

viderunt: alii vero per longum temporis interuallum laboribus vulneribusque difficillimis fatigati sunt. Sic imbreu soleisque excipere, quandocumque sit, excubias agere, fessosque humi eos dormire oportet. Accedit interdum, quod frumenti inopia laborent atque magna armatorum pars in grauissimos funestissimosque morbos incidat. Quid, quaeso, cum iam milites religionis doctrina vel excitandi, vel admonendi, vel ad vitae suae officia instruendi sunt, concionem laudabimus, in qua de superstitione circa insomnia, deque duarum in Christo naturarum coniunctione agitur? Pone contra, oratorem materiam sibi tractandam sumisse, quae ipsi temporis statui, in quo iam fere omnium res sitae sunt, optime respondeat, quas aures attentas non praebebunt, quibus piis cogitationibus animi non suffundentur, quibusque pietatis fructibus non laetabuntur! Haec enim est vis doctrinae coelestis, quam, ubi opportune adhibetur, in animis semper sentimus.

### §. V.

Quae his addam, quaedam adhuc habeo, quae ad loca referenda sunt. Hostibus a patriae finibus propulsis bellum saepe in regiones transfertur, quarum incolae alii religioni addicti sunt, quam nos profitemur. In exponendis igitur litteris sanctioribus caendum est, ne quid in eos, qui in dogmatibus fidei a nobis dissident, animo commoto et inconsidere dicatur. Hic mihi placuit JOCARDUS Theologus quondam Berolinensis, qui cum Edelmanni errores latius serpere et doctores nonnulli magna vehementia in nefandas eius opiniones insurgere coepissent, nihil aliud egit, quam ut doctrinam, quam ille cum asseclis suis impugnaret, clare accurateque traderet et grauissimis argumentis omni moderatione demonstraret atque confirmaret. Exemplum hoc omnibus, qui in castris religionem docent, ad imitandum proposuerim. Qui enim inter milites de plebeula sunt, vix ani-

§ Ad loca:

mi impetum continere possunt, quin et in dictoria contra aduersarios erumpant, et, odio incitati, quoconque modo illis noceant; ac gauderent sane, qui plerumque durius et insolentius in hostium terris agere solent, si haberent, quo ferocitatem suam excusarent. In illis ipsis etiam cohortibus, quibus doctores dati sumus, saepe reperiuntur, qui eandem cum hostibus religionem colant; concionibus igitur, quibus in illam inuehimus, propterea etiam abstinentum est, ne rixae dissidiaque inter ipsos nostros suboriantur et pericula oratori timenda sint. Odium illud leniendum potius est animusque ad mutuam humanitatem exhortandus.

### §. VI

Hinc flu-  
unt virtutes  
concionato-  
ris.

His igitur de personis, temporibus, atque locis breuiter expositis, habet, quae orator bene et diligentius obseruet. Magna vero prudentia et circumspectione opus est, ne vel in religionem, vel in alias, vel in seipsum tandem peccet; atque inde non modo apparet, quanta sit muneris grauitas, sed quae concessionoris quoque virtutes esse debeant. Ne igitur ad libros, quos non ubique ad manus habere licet, recurrendum sit, quisque religionis doctrinam clare accurateque cum argumentis suis calleat. Nec his bene instructum esse sufficit; accedere debet iusta Philosophiae, Exegezeos, Theologiae Moralis ac Historiarum cognitio. Qua enim qui destitutus est, is neque ratione et argumentis ex rerum natura petitis dogmata fidei comprobabit, neque loca controversa a falsa interpretatione vindicabit, neque tandem ad usum vitae piae sanctaeque feliciter accommodabit. Ceteras, quibus sacer orator in castris praeditus esse debet, virtutes silentio praetereo, quoniam hic tantum de iis sermo esse potest, quae ad conciones referendae sunt. Si quid vero addiderim, hoc unum est, quod hominum rerumque usu perfitus sit; facit enim multum haec peritia tum ad prudenter eligenda, tum ad argumenta feliciter tractanda.

### §. VII.



## §. VII.

Nunc ante omnia de textibus, super quibus conciones habendae, dicendum nobis est. Instituuntur autem super librorum sacrorum quotannis in eundem gyrum pericopis redeuntibus. Est haec res, quae multis magnorum virorum iudiciis vel defensa atque confirmata, vel improbata atque reiecta est. Is ego quidem non sum, qui, quid hac de re statuendum sit, iudicio meo definiam; id mihi autem videtur, donec ab iis, penes quos summa sacrorum regundorum est, legibus non aliud quidquam caustum sit, nemini licere, a consuetudine illa recedere. Atque sunt Euangeliorum illorum nonnulla, quorum argumenta optime ad milites referri iisque propria fieri possunt; hoc itaque modo ad alia loca recurrere non opus esse puto. Quae autem eiusmodi naturae non sunt, methodo synthetica, ut dicitur, ad illos accommodari debent. Si vero accidit, ut tractanda sit res, cuius ne vestigium quidem recepto Euangelio insit, non dubium est, quin quem locum alium velit, eligere concionator possit. Illud autem accidere potest, ut duo tantum exempla commemorem, cum, parta victoria, per totum exercitum Deo gratiae agendae, aut, virtutis quibusdam inter copias inualescentibus, a Duce imperatum est, ut proximo die dominico oratio in illa habeatur. Hic igitur, ubi per totum exercitum in orationum argumentis conuenire debeant concionatores, vel ab eo, qui rebus sacris praefectus est in castris, qui explicetur textus definiendus, vel, quod optimum esse videtur, soli virorum, qui docti probique cogniti fuerunt, arbitrio relinquendum, quem explicare velint.

De textibus, super quibus concessionandum.

## §. VIII.

Sed iam videamus, quae secundum textum illum, quem quisque rei aptum iudicat, coram iis, qui militiam profitentur, praeципue tractanda videantur. In Scripturis Sacris autem nobis

Quomodo credenda et agenda coniungi debeant.

vel credenda vel agenda proponuntur, quorum illa pro principiis habenda sunt, ex quibus haec necessario sequuntur. Velle itaque, ut nec dogmatica solum, nec quae ad faciendum spectant, separatim traderentur. In EPISTOLIS quidem, quae, quo in statu iam sit religio apud Christianos Borussos, enarrant, nuper modo suasum est, ut illa tantum in institutionibus catecheticis, haec autem pro concione e suggestu exponerentur. Tantum vero abest, ut hoc consilium sequendum putem, ut potius utrisque coniunctis, et quae ad intelligendum profint, positis, clare quoque demonstretur, quomodo in usum consequendae salutis aeternae conuertenda sint. Cum autem certum sit, quod a Celeberrimo D. LESSIO obseruatum est, quinque partibus, quae praecepta morum tradant, et reliqua una, quae quid credendum sit, demonstret, N. T. in primis litteras sanctiores absolui, ius assentiri non dubito, qui plus temporis moribus tradendis, quam docendis dogmatibus impendendum existimat. Praeter id enim, quod in hunc praecipue finem nobis data est religio, vel eo solo illud probari potest, quod ex uno dogmate saepe plures virtutes fluunt. Cur haec omnia igitur non praesertim ad milites pertineant, quorum intelligentia de rebus diuinis agenda quidem et confirmanda est, animus autem ad pietatem exercendam eo magis praecepsis opus habet, quo saepius inter armorum strepitus corrumpi et ad vitia declinare solent? Sed nunc de singulis distinctius agamus.

### §. IX.

a) De credendis in uniuersum.

Primum igitur sermo sit de dogmaticis. Religionis vero doctrinae, quibus, quid de rebus diuinis credendum sit, discitur, non eiusmodi naturae sunt, ut omnibus Christianis omnes aequo scitu sint necessariae. Difficile quidem est, quid de qua re cuique sciendum sit, constituere: atque hinc controversiae et disputationes de articulis, ut dicuntur, non fundamen-talibus;

talibus; quae vero citra omnem dubitationem omnium ordinum Christianis de fidei sua doctrinis in promtu habenda sunt, ea quoque milites fugere non debent. Hominem ergo, diuina imagine perdita, naturalem quandam vitiositatem sibi contraxisse et ob leges diuinas consulto saepe violatas poenas aeternas meruisse: Deum autem filium suum, qui nostra supplicia in se susciperet, obedientiamque a nobis praecepsis diuinis debitam nostro loco praestaret, misisse: unumquemque igitur, qui fidem in hunc seruatorem habeat, eamque vita pura atque sancta exprimat, felicitatem aeternam consecuturum esse; haec fere maxime praecipua sunt, quae saepe pro concione etiam militari moneri ac demonstrari debent.

### §. X.

Sed his et alia, quae cum militis plus quam aliorum conditione coniunctionem habent, addenda et diligentius exponenda sunt. Sacrorum in castris interpres auditoribus suis ob oculos ponat prouidam Dei circa homines curam, quae omnia in his terris quam sapientissime moderatur: summam eius de rebus omnibus scientiam, quae non solum intelligit, quid nobis sit opus et quid ab ipso expetamus, sed et hostium consilia, machinacionesque et imminentia pericula videt et pro sapientia sua avertit: suminam denique potentiam, quae et tutos praestat in periculis et vulneribus morbisque confectos reficit et victoriam eamque saepe contra confertissimas hostium cateruas concedit. Pertinent huc, quae de termino vitae, quem multi decreto, ut nuncupant, absoluto tribuunt: quae de morte subitanea, iudicio extremo et damnatione vitaque aeterna in Scripturis Sacris docentur. Spes praeterea in animis excitanda augendaque est, quae nullis miseriis, laboribus, morbis ac doloribus concuti queat et eueriti, sed omnia, quae iis, qui Deo per Christum reconciliati sunt, accidunt, ipsorum commodis inferuire, persuasum sibi habeat. Sunt

b) Quae  
militibus  
praecipue  
conueniant.

et

et haec a ceterorum institutionibus non aliena, illis autem, quibus quotidie sexcenta vitae pericula adeunda sunt: qui uniuersiti in alterum iam iam incident: qui modo vulneribus mutilantur, nunc hostium armis occiduntur; his illa omnia saepius ante oculos ponenda videntur. Faciunt enim non ad vitam tantum caute pieque instituendam, sed et ad fiduciam in omnibus rebus, praesertim in morte, in Deo reponendam.

### §. XI.

c) Quomo-  
do circa er-  
ores ver-  
sandum. Cum vero primorum et praefectorum militum animos saepe errores occupauerint, in concionando, quantum fieri potest, et hoc respiciendum esse puto. Multi enim libris aduersariorum religionis lectis, quid in quaque re falsi in iis statutum sit, a vero distinguere nesciunt, adeoque opiniones Christiano homine indignas pro veritate interdum amplecti et cum aliis communicare solent. Duplicis autem generis esse possunt. Alii sunt leues et nullo modo in contemptum religionis vergunt, alii eam euertunt et vitia gignunt. Utrisque minister ecclesiae militaris, siue colloquiis priuatis, siue in ipsis concionibus occurrere debet. Illa autem longe praferenda sunt, quoniam et pluribus et subtilius res tractari et ad omnes ac singulas aduersariorum objectiones responderi potest. Quod si vero priuatis disputationibus non facile locus inueniatur, errores pro concione argumentis, iis vero grauisimis, refellendi erunt. Cum igitur multi de Scripturarum Sacrarum et de uniuersae religionis origine diuina dubitent, et in primis circa doctrinam de expiatione per Jesum Christum facta haereant, ostendi illis debet, quam densissimis a natura tenebris mens humana inuoluta sit: quanta religio christiana praestantia gaudeat: quanta animi humani peruersitas: quantum beneficium a Deo per redemtionem Christi in nos collatum: et quam optime tum iustitiae, tum bonitati diuinae conueniat, satisfactionem *Θεωθεωπε* pro nostra accipere. Hic operae pretium erit, praeter

PFAFFII



PFAFFII Orationes Academicas et BAUMGARTENII Historiam lingua vernacula de variis religionum sectis conscriptam atque cum praefatione Semleri editam, inspicere. Nam ibi, quae ad historiam dogmatum pertinent, non modo inueniuntur, sed addita quoque est aduersariis occurrenti ratio.

### §. XII.

Quod autem de dogmaticis iam exposuimus, id non hanc habet sententiam, ut in singulas cuiusque doctrinae partes singularae quoque conciones habendae sint. Praeterea enim, quod longum temporis spatium efflueret, antequam maxime praecepua tantum capita auditoribus tradi possent, fieret quoque, ut dum ad alios in primis conuersa sit oratio, ceteri parum sibi dictum haberent. Ita potius inter se temperanda sunt, ut, si res postulat, illa omnia simul in una concione reperiantur. Videndum ergo est, ut genus in species suas diuidamus, oppositis opposita et caussas effectibus comparemus. Exempli gratia, si de ratione homini in extremo die judicii reddenda esset concessionandum, homo foret genus, cuius species iuuenes essent et senes, pauperes et divites, illustres et ignobiles, omnium denique ordinum homines. Ut de oppositis iudicare possis, cogitandum tibi erit, quod, donec in his terris viuimus, non semper praemia nobis debita ab aliis reportemus et a paucis tantum hominibus actionum ratio interdum exigitur. Cum pars autem in aeternum poenis afficienda dicitur, pars contra ad felicitatem peruentura, habes hic varios iudicij illius effectus, cuius diuerfitatis caussa in eo est, quod hi legibus diuinis morem gesserunt, illi autem obedire noluerunt. Si hanc orator, et quam Rhetorica uberioris praecepit, inuentionis rationem sequitur, et ex singulis quibusque generibus, quid militibus in primis conueniat, deligit, nemo erit, qui omne, quod exponatur, non sibi dictum esse putet.

Tria illa.  
quantum li-  
cer, coniun-  
genda sunt.

### C

### §. XIII.



## §. XIII.

*De agen-  
dis genera-  
tum.*

Ad probitatem autem integritatemque vitae referenda sunt omnia; videamus igitur, quomodo orator circa ea, quae facienda sint, versari debeat. Ante omnia autem eo allaborandum est, ut vera cognitio peccatorum contritoque in animis militum efficiatur. Etenim qui animum non fidei plenum habet, is nec virtutem, quae christiana sit, Deoque placeat, colere potest. Non tantum ideo vitiorum, quae in omnes homines cadunt, conuincendi sunt, sed quanta eorum sit foeditas, quibus ipsi in primis dediti sint, ostendendum est. Quod ubi factum, aut omnino animaduersum sit, pristinorum vitiorum eos poenitere, ad meliores virtutes excitentur; mediis tamen, quibus erigatur pietas augeturque, adiectis.

## §. XIV.

*De agen-  
dis specia-  
rum.*

In quibus omnibus ea praesertim proferenda sunt, quae iam maxime ad milites pertinent. Dehortandi igitur sunt a vitiis nonnullis eorum satis interdum communibus, ebrietate scilicet, scortatione, furtis, rapinis, et saeuitia in eos, qui arma non gerunt; in primis serio et saepius monendi, ne signa deserant et in castra hostium transeant. Quomodo quisque contra in medio armorum strepitum, perpetuis laboribus et improbitatis, quae oculis obueriantur, exemplis, Deum vere colere et possit et debeat, docendum est. Patriae amore integerrimo incendi sunt, et instruendi, principem, cui pareant, non nisi iustis de cauiss belum gerere; hinc ipsi eo maiorem fidem esse praestandam, quo magis eorum sanguini pepercerit, et, quandiu fieri poterat, a militiae laboribus eos immunes esse voluerit. Porro monendi quidem gregarii milites de obedientia praefectis praestanda, verum et illi, qui praesunt cum imperio, de amore, lenitate in suos, et cura ac beneficentia in aegrotos et vulneribus affectos; cuius rei egregium exemplum ob oculos ponunt centurio, qui

Caper-



Capernaumi degebat, et qui ipsius imperio parebant milites. Amor tandem mutuus et concordia, qua in molestiis perferendis, ineundis consiliis, coepitisque feliciter ad finem perducendis, fortiter inuicem sibi succurrant, tum superioribus, tum inferioribus diligenter est commendanda.

### § XV.

Eo certius vero ad eum, quem sacer sibi orator scopum fixerit, perueniet, quo diligentius circa argumentorum illorum tractationem quaedam obseruare velit. Non sufficit vero, e diuinis mandatis et natura rei docuisse, haec, quae arguamus, vere esse virtus, quae Dei voluntati aduersentur, hominem diuinis beneficiis indignum reddant, conscientiam laedant, animi tranquilitatem auferant, salutem aeternam eripiant, et ad supplicia sine fine duratura detrudant; sed potissimum e conditione vitae militaris argumenta, quibus animos ad virtus fugienda, virtutesque exercendas moueamus, petenda sunt. Ebriis facile superuenit hostis: intemperantia in cibis et lasciuia vita morbos sibi contrahunt: raptore et saeuos produnt incolae hostibus, et quo licentius ea loca deuastant, quae occuparunt, eo certius et citius omnium rerum inopia non incolae solum, verum et illi ipsi laborant. Ita ostendatur, relictionem signorum esse perjurium, aduersari fidei in patriam, patriae patrem, commilitones; illum, qui transfuga abeat, siue velit, siue nolit, eos prodere, inter quos militabat, et inter quos saltem quosdam amicos habebat, in numerum vero hostium receptum nunquam carere suspicione, et si in manus eorum incidat, quos deseruerit, nullam veniae, nullam salutis spem habere. Ad exercendas virtutes itidem specialibus argumentis excitandi. Excute somnum: perfer iniurias tempestatis: hac nocte excubias agis in salutem tuorum; alia idem asturi alii, ut tu securius dormias. Lenem, aequum, amicum te praesta incolis terrae, quam intraisti, ut hostes idem obseruent,

C 2

Argumen-  
ta rerum  
unde peten-  
da.

seruent, si patriae tuae fines inuaserint, et ipsi illi incolae tui cum  
ram habeant, si forte aeger aut grauiter vulneratus inter eos re-  
lictus fueris. Haec prudenter sine omni animi acerbitate tra-  
ctanda sunt.

### §. XVI.

*Eloquentia adhibenda est.* In his omnibus non floribus spargendis et ornate contor-  
quendis, sed oratore opus est, qui cum eloquentia ornata et co-  
piosa grauitatem quoque coniungat. Grauisimi enim ponderis  
res sunt, circa quas versatur; atque ita in tradendis religionis  
praeceptis verae eloquentiae studeat, quae non in verbis solum,  
sed rebus potissimum consistit. Nam quomodo ad persuadend-  
um mouendumque oratio valebit, quae perspicuitatis, *anq[ue]βitas*,  
argumentorum exemplorumque vi destituta oscitanter vel cum  
taedio auditur? Omnibus igitur sacrum umbonem ascensuris  
Rhetorices praecepta accurate percipienda et Castrensem docto-  
ribus sacris, praeter diuturnam oraculorum diuinorum lectio-  
nem, in primis orationes illae apud Liuum aliosque Veterum Hi-  
storicos occurrentes assidue legendarae sunt. Siue enim a ducibus  
ipsis ad milites et alios habitae, siue ab iis, qui nobis vitas illo-  
rum tradiderunt, exornatae atque amplificatae sint, illi, qui uti  
eis didicit, hic praestantissimo usui esse possunt; tum ob artem  
oratoriam ipsam, tum ob eiusdem saepe conditionis auditores.

### §. XVII.

*Quae dicturus est orator, scribere debet.* Boni concionatoris porro est, nisi tempus aliud quid exi-  
gat, quod dicturus sit, scribere. Pauci quidem erunt, quibus  
non idem sit consulendum, apud militares autem in primis illud  
locum habere debet. Etiamsi enim in aliquo multum ingenii,  
aut magna quaedam exercitatio sit dicendi, quae quidem non  
omnibus contigit, facile tamen fieri potest, ut vel in verbis, vel  
quod peius est, in ipsis rebus peccet. Id vero neque reuerentiae,  
quae

quae coetui Christianorum debetur, neque pietati in religionem, cuius praeco est, conuenit. Pessimum igitur consilium est, ad operam scribendi fugiendam, quidquid in buccam venit, dicere. Errant, qui se hac ratione efficacius animos mouere putent; id enim quomodo possunt, ubi per integrum fere horam sine duce ordine huc illuc vagantur, et multis inconsideratus dictis, filum orationis, ubi iam abruptum erat, balbutientibus verbis satis inepte forte annexunt? Miles gregarius quidem, quid in qua-  
que re peccatum sit, non facile animaduertit, doctiores autem indignantur, abeentes rident, et ad proxima sacra non reuersi toti cohorti, mala de concionatore suspicandi, caussam prae-  
bent.

### §. XVIII.

Et quoniam fieri non potest, quin is, qui verba sua casui Breuitas  
committit, praeter naturam fusius atque loquacius rem edifferat, tempus, commenda-  
tur. Cuius rei igitur ea ratio habenda esse videtur, ut, quantum fieri potest, intra horae dimidium ad finem perducta sit oratio. Nam quod temporis reliquum sacris destinatum est, precibus et can-  
ticis debetur. Si hoc modo breuitati studueris, attentos omni-  
um animos habebis et lubentissime quisque sacris intererit, ne-  
que tempestatis iniuriae tribuetur, quod concionum verboſitati  
adscribendum erat.

### §. XIX.

Atque propter eandem brevitatem, cui rerum natura acce-  
dit, in exordio concionis dicantur potius, quae de tempore, lo-  
cis, atque personis desumpta sint, quam quae ad dictum aliquod  
librorum sacrorum explicandum spectent. Militum enim res  
cum semper variant, atque sacri oratoris esse diximus, ad eas  
semper conciones suas referre, in praeloquio illarum mentionem

De Exor-  
dio et per-  
oratione con-  
cionis.

C 5 facere,



facere, adeoque viam ad argumentum, quod sibi tractandum sumserit, parare potest. Idque hanc habet utilitatem, ut non quisque modo videat, quae sit causa, cur de hac, nec ulla alia iam orator concessionem instituat, sed auditores quoque eo attentiones alacrioresque fiant. Ubi autem forte eiusmodi introitu non opus fuerit, a votis pii atque precibus, quae cum orationis argumento coniunctionem habent, principium sermonis erit. Ceterum si loca ex scripturis Sacris occurrant, quae non longa ac difficulti interpretatione indigere et rei tractandae conuenire videntur, adhiberi possunt. Quae autem peroratio concessionis est, ea in unum quasi congerit omnia, quae vel ad vitia fugienda, vel ad amplectendam virtutem facere aliquid possunt.

### §. XX.

*Utilitas tali  
lium concio-  
num.*

Ubi hac ratione prudenter omnia atque circumspecte instituuntur, quin summa et in religionem, et rempublicam, et milites ipsos commoda redundant, dubium non est. Deus, qui autor religionis est, pie sancteque colitur: reipublicae salus contra iniuriam hostiumque impetus iustitia atque aequitate defendenda atque stabilienda commendatur: ac militum animi, ne felicitatis suae, et officiorum oblii, ad vitia delabantur, admonentur ac instituuntur. Qui itaque vitiis suis periissent ciues conseruantur: qui in hostes saeuissent, humanitati student: qui in praelio ob mortis periculum animum abiecissent, fortiter pugnant: et quibus nulla fides pietasque erat, Deo et patriae consecrantur. Quanta ergo muneris, cuius ope haec efficiuntur, dignitas! Quanta eorum, qui bene illo funguntur, merita! Non mediocris doctrinae et singularis sagacitatis vir, qui integrum de *meritis* librum composuit, summa atque maxime praecipua iis tribuit, qui hac ratione operam religioni nauant. Faceant igitur, qui susque deque habent eos, qui muneri illi se deuouerunt; nec sint, nisi idonei, pii, atque docti, qui ambiant

ambiant illud et quibus haec singularis bene merendi data est fa-  
cultas, sedulo officia sua peragant.

§. XXI.

Haec itaque fere fuerunt, quibus hoc unum artis homileti- Conclusio.  
cae caput uberior illustrarem. Neque mihi enim in animo, ne-  
que opus erat, cetera vel profanae vel sacrae Rhetorices praece-  
pta repetere. Nam necesse est, ut, qui singulis huius artis par-  
tibus cognoscendis animum applicat, reliquis, quae ad summam  
rei pertinent, iam satis instructus sit. Hac igitur ratione nemo  
me reprehendet, quod de inuentione, tractatione, et elocutione  
non proleta hic reperiatur omnia, quae de iis in uniuersum praeci-  
pienda sint; ex his enim ea tantum desumenda putavi, quae  
ad rem, de qua agebam, pertinere videbantur.

QK Th. 9861

X 3074332 VD 18

In der Stadtbibliothek stand einst gegen Ende des 18. Jahrhunderts eine  
große Holztafel mit einer Karte des Landes Sachsen-Anhalt.

LXX. 3

Die Karte ist aus Holz geschnitten und zeigt die Provinz Sachsen mit den  
Grenzen des Landes Sachsen-Anhalt. Die Karte ist in verschiedene Teile unterteilt,  
die durch Linien getrennt sind. Die Karte ist in einem guten Zustand und  
zeigt die geographischen und politischen Merkmale des Landes Sachsen-Anhalt.  
Die Karte ist eine wichtige historische Quelle für die Erforschung des  
Landes Sachsen-Anhalt und seiner Geschichte.

hc

B.I.G.

O.H. 346.15.

Black

White

3/Color

White

Black

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres

Farbkarte #13

DE  
SACRIS  
CONCIONIBUS  
IN  
CASTRIS HABENDIS

DISSESTIT

M. GOTTLLOB SIGISMUNDUS DONNER.



D R E S D Æ,  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI MEINHOLDI.  
MDCCCLXXIX.

